

tit. 16. form. 2. n. 335. et plenissime laxiorem opinionem Pignatelli reprobans, probat hanc Benedictionem esse de praecepto, nec posse omitti. Rubrica enim Missalis in *tit. de defect. grav. in ministr. Miss. occurrent.* hunc defectum ponit his verbis—*Possunt etiam defectus occurrere in ministerio ipso, si aliquid ex requisitis ad illud desit: ut si celebretur in loco non Sacro: Si vestes Sacerdotales, et Mappae non sint ab Episcopo, vel alio habente hanc facultatem benedictae, etc.* Et hinc est, quod qui scienter celebrat extra casum necessitatis super Altare coopertum cum Mappis non benedictis, non est immunis a culpa ut advertunt Gavant. *p. tit. 20. litt. S. Pax Jord. t. 1. lib. 4. tit. 1. nu. 225.* quia Rubrica est praeceptiva, et imperativa, ut clare patet ex verbis relat. in *tit. de Praeparat. Altaris*; ibi: *Hoc Altare operiatur tribus Mappis, ab Episcopo, vel alio habente potestatem, benedictis*, Rota decis. 238. coram Coccin. Monacell. *dict. l. n. 336. 337.*

9 10 Quod et recte cognovit idem Pignatell. *cons. 98. n. 36. T. 6.* ubi loquens de praeparatione Altaris erigendi in Oratorio, etc. haec habet: *Estque necessario cooperiendum tribus Mappis, seu Tobaleis ex Lino, vel Canapi, vel ex Gossypio, etc. ab Episcopo, vel alio habente potestatem benedictis.* Ex quo patet etiam, Materiam Mapparum posse esse Canapim. et Gossypium.

BENEDICTIO CORPORALIIUM.

TITULUS CUADRAGESIMUS PRIMUS.

SUMMARIUM.

- 1 Multa dicta sunt de Corporali in Titulo de SS. Viatico.
- 2 Corporalia benedicenda sunt ab Episcopo.
- 3 Quia tangunt Christi Corpus consecratum.
- 4 Inter Graecos a solis Episcopis benedicuntur.
- 5 A Graecis sacro Chrismate unguuntur.
- 6 Corporale immundum adhibens, peccat.
- 7 Corporalia non amittunt Benedictionem, quando lavantur.
- 8 Palla, seu Animetta an benedicenda?
- 9 Etymologia hujus nominis Animetta.

1 Facta est alibi mentio de Corporali, tunc cum sermo habitus fuit de Sacramento Eucharistiae, et praesertim de SS. Viatico: ad quae loca potest Lector accedere, et ibi Etymologiam, originem, antiquitatem, usum, et mensuram, figuramque cognoscere cum Gavanto, et aliis.

2 3 Benedicenda quoque sunt haec Corporalia vel ab Episcopis, vel ab Abbatibus, etiam si inserviant alienis Ecclesiis, juxta opinionem Pasqualig. *qu. 790.* quia inserviunt Sacrificio Altaris, et digna facta sunt, ut tangant Sacratissimum Christi Corpus in Hostia consecratum.

4 5 6 7 Ideo inter graecos Corporalia benedicuntur a solis Episcopis, consecrantur, et Sacro Chrismate unguuntur, Macri *Hierolex.* modo vero ab iis etiam, qui a jure facultatem habent, prout sunt Abbates, etc, sed amplius non adhibetur unctio cum Chrismate, quia obstat nitori: et munditiae, quae ornari debent specialiter corporalia; unde qui iis immundis utitur, secundum Doctorum opinionem, non excusatur a mortali, si immunditia sit notabilis, *c. Relinq. de Custod. Euchar. in 6.* Immunditia vero non est causa amissionis Benedictionis; nam Corporalia tunc amittunt illam, quando ita lacerantur, ut amplius inservire nequeant, non autem quando lavan-

tur de novo, et amido imbuuntur, Pasqualig. *de Sacr. Nov. Leg. T. 2. q. 788.*

8 9 Quaeri potest hic, an nomine Corporalium, benedicenda veniat quoque *Animetta*, nempe illa Palla, quae Calicem tegit, ita dicta quia quasi Anima in corporali plicato includitur, et conservatur. Vicecom. *lib. 7. cap. 5.* et ideo Craecus Auctor illam *Psichin* vocat, idest *Animam*. Alii deducunt hoc nomen ex *Antimensia*; Vide Macr. in voce *Corporale*. Cui respondendum duco, non esse benedicendas istas *Animettas* specifica Benedictione, sed una, et simul cum Corporalibus, quia sunt quasi partes corporalium, et cadunt sub eodem genere; De facto Rituale de his nullam praescribit Benedictionem.

BENEDICTIO TABERNACULI,

SEU VASULI PRO SACROSANCTA EUCHARISTIA CONSERVANDA.

TITULUS CUADRAGESIMUS SECUNDUS.

SUMMARIUM.

- 1 Tabernaculum est benedicendum.
- 2 Tabernaculum quid sit?
- 3 Pastophorium etiam appellatur.
- 4 Quid nomine Vasculi intelligatur?
- 5 Est quasi Pyxis.
- 6 Pixis benedicenda.
- 7 Pyxis Oleo Sacro non inungitur.
- 8 Aliud Vacculum pro Pyxide inserviens,

1 2 3 Tabernaculum ligneum, in quo asservanda est Sacratissima Eucharistia, benedicendum esse statuta prece habemus in *Conc. Prov. Med. 6.* Quid vero sit Tabernaculum satis explicatur a Gavant. *P. 5. ne mensuris propriis Sacrae supellectilis, et P. 2. tit. 2. litt. g,* quod alias *Pastophorium* appellatur, ut diximus in explicatione *Tituli 23, num. 62. de Sanctissimo Eucharistiae Sacramento.*

4 5 6 Quid vero veniat in hoc Titulo nomine *Vasculi* pro Sacrosancta Eucharistia conservanda, dignosci potest ex iis, quae alibi diximus de Pyxide, quae Vasculum quandoque appellatur, at habemus ex *Actis Eccl. Mediol. verb. Vasa.* Pyxis igitur et ipsa est benedicenda, quia inservit non unice Altari, sed ipsimet Christi Corpori immediate: si enim benedici debet Tabernaculum, in quo Pyxis servari solet, multo magis debent benedici Pyxides; in quibus immediate asservatur Christi corpus consecratum.

7 De ejus materia et figura vide quae tunc diximus in enunciato Titulo: Hoc unum tantummodo addi potest, non de-

bere ista Vascula, seu istas Pyxides Oleo Sacro inungi quemadmodum Calices, et Patenae, sed solum benedici, et Aqua benedicta aspergi, quamvis enim Altari inserviant, non adhibentur tamen ad Sacrificium conficiendum.

8 Est et aliud Vasculum, quod Sanctissimae Eucharistiae inservit, ad modum capsulae efformatum, italice *Scattola* nuncupatur, quod argenteum esse solet, et saltem intus inauratum cum parva Cruce super operculo. Adhibetur haec Capsula ad intus reponendam Hostiam consecratam, exponendam in Ostensorio, quando Tabernaculum capax non est ejusdem Ostensorii, et ideo inservit per modum provisionis eidem Sacramento nec pro alio usu adhibetur. Ista Capsula est, et ipsa benedicenda praesenti ritu, mutatis mutandis, eadem ratione, qua benedicuntur Pyxis. Memini tamen, Card. de Verme Episc. Ferrariae, in sua Pastoralis Visitatione, non aprobavisse hujusmodi Capsulas, et quascumque invenit, exaugurasse, ratione illa fretus, non esse multiplicanda entia sine necessitate, cum Pyxis ad hunc finem conservandi Sacram Eucharistiam sit instituta, non vero Capsula: si vero Pyxis non haberetur, Calicem posse ad hunc usum suppeditari, quemadmodum fit Feria V. in Coena Domini, pro reponenda Eucharistia in Sepulchro.

BENEDICTIO NOVAE

CRUCIS.

TITULUS CUADRAGESIMUS TERTIUS.

SUMMARIUM.

- 1 Occasio benedicendi Crucem multiplex esse potest.
- 2 Benedictio haec non est pro Cruce collocanda super Altare.
- 3 In Cruce benedicenda esse non debet Imago Ohristi Crucifixi.
- 4 Benedictio haec est tantum pro Cruce.
- 5 Cruces collocantur ad capita viarum.
- 6 Deferuntur in itinere a Peregrinis.
- 7 Ad diversos alios usus inserviunt Cruces.
- 8 Benedictio haec non est de necessitate, sed de convenientia.
- 9 Rituale Romanum non inutiliter Regulas statuit
- 10 Opinio Auctoris circa hanc necessitatem.
- 11 An Episcopus dare possit hanc facultatem simplici Sacerdoti.
- 12 Sacerdotes adstantes Benedictione orare debent.
- 13 Classes diversarum Benedictionum.
- 14 Sacerdotis nomen pluribus competit.
- 15 Crucis osculatio est signum venerationis.
- 16 Insuper est quaedam tacita professio Fidei.

1 2 3 Ocasio novae Crucis benedicendae multiplex esse potest; numquam vero pro Cruce super Altare collocanda est facienda haec Benedictio, eo quia textus loquitur de simplici Cruce, non autem de Cruce cum Imagine Ohristi Crucifixi, quae ex ritu collocanda est super Altare cum Candelabris, hinc inde, et pro qua specialis Benedictio statuta est circa Imagines Jesu Ohristi, Gavant. p. 1. t. 20. de praeparatione Altaris.

4 5 Este sermo hic de Crucibus (ex quacumque materia sint) sine Crucifixi Redemptoris Imagine, quae variis de causis construi solent et collocari in capitibus viarum, in triviis frequentioribus, in coemeteriis, ut monet S. Carolus Act. p. 1 Conc. Prov. 3. Item ad Ostia Religiosarum domorum, et prae

cipue Regularium strictioris Observantiae, prout sunt Capucini, et hoc tam in Civitatibus, quam extra illas, et in aliis locis, vel Sacris, vel honestis, in Claustis, in Hortis, et similibus ut crebrius illis perspectis, Fideles sese erigant ad summi mysteriorum in Cruce peracti gratam memoriam, et orandi, seu adorandi stimulum sentiant, quotiescumque illam inspiciunt, vel illi occurrunt.

6 7 Peregrini insuper nonnulli sunt, qui poenitentiae causa ad longinquas Urbes, etc. Sanctuaria insignia procedere solent, bajulando magnas Cruces in Dominicæ Passionis memoriam. Item Confratriæ nonnullæ tempore poenitentiae publicæ, seu Sacrarum Missionum prægrandes Cruces erigere, et bajulare solent in visitatione Sepulchrorum in hebdomada Sancta, vel alia pia, et devota occasione. Cunctæ istæ Cruces ratio postulat, si ad res Sacras inservire debent, ut statuto ritu benedicantur; eodem pacto, quo S. Carolus *Prov. 4. p. 1.* statuerat his verbis: *Cruces et. Sanctorum Imagines, solemniter, etc. statutis precibus, ex Ecclesiæ ritu benedicantur.*

8 Utrum vero indigeant novæ Cruces hac Benedictione, diserte disputat Quart. n. 321. et concludit non esse hoc de necessitate, sed convenientia, qui cum materialiter sit res profana, quatenus componitur ex ligno, vel alia quavis materia, ratione benedictionis debet acquirere esse Sacrum, et sic majorem honorem, et venerationem apud Fideles.

9 10 Non assentio tamen Quarto, in eo quod dicto loco, loquitur de benedicenda Cruce collocanda in medio Altaris, quia hæc habere debet Imaginem Christi Crucifixi, ut diximus; et pro hac Imagine alia Benedictio præscribitur, sicuti hic specialiter assignatur pro Cruce nuda sine Imagine. Ideoque cum Rituale inutiliter suas Regulas, et ritus præscripsisse dici non debeat, ego sum in voto, ut novæ Cruces benedicendæ sint necessario, et sit contra Ritus Ecclesiasticum collocare Crucem non benedictam in loco publico, ut adoretur a Fidelibus. Quare invigilare super hoc non parum debent Episcopi, quibus de jure competit hæc solemnitas Benedictio, vel Praelati Regulares, qui habent hanc facultatem.

§. I. Sacerdos genuflexus ante Crucem, devote adorat, et osculatur, et idem faciunt quicumque voluerint.

11 Patet ex hoc, posse Episcopum tradere simplici Sacerdoti facultatem benedicendi novas Cruces, quod videtur contrarium rationibus a me in Titulo LXIV. adductis, cum quibus fui in voto, non posse hanc facultatem tradi simplicibus Sacer-

dotibus ab Episcopo: Nihilominus (quaeso, ne videar in mea opinione nimis constans) neque per hoc a supradictis recedo, quoniam nonnullæ, et quidem, meo videri, validæ rationes id comprobant.

12 Et primo. Per hoc quod verbum *Sacerdos* in præsentibus §, inscriptum, vere significet Sacerdotem simplicem (eo magis quia paulo ante facta fuit mentio Episcopi) non sequitur, hoc debere dici de Sacerdote benedicente. Dari potest, imo datur sine dubio, quod inter adstantes huic benedictioni, reperiantur Sacerdotes, atque ideo, ut detur illis tamquam dignioribus hæc præeminentia, primo loco nominantur, et invitantur; et de facto sequuntur hæc verba: *et idem faciunt quicumque voluerint.* Ergo hic tractatur de gradibus Personarum assistentium; non de Ministro Benedicente.

13 Secundò. Classis Benedictionum hujus Ritualis in duas partes dividitur: Prima est de Benedictionibus faciendis a Párocho, vel a simplici Sacerdote: Secunda de Benedictionibus ab Episcopis, vel aliis facultatem habentibus faciendis. Si posset fieri a simplici Sacerdote, utique enumeranda esset hæc Benedictio in prima Classe. Sed est in secunda, in qua enumerantur Episcopi, et qui de jure, vel ex privilegio, ut diximus, facultatem habent, ergo tantam ab istis facienda est, non vero ab illis.

14 Ulterius, nomen *Sacerdotis* convenit tam Episcopo, quam Abbati, et Praelato, quia omnes sunt Sacerdotes (de Abbatibus intelligo, qui ad Sacerdotium jam promoti sint cum Quart. d. n. 35.) ergo non per hoc venit semper simplex Sacerdos.

Quod omnino adimplere cupiens piissimus Archiepiscopus Ravennatensis Crispi anno 1723. die 26 Julii personaliter se contulit ad Terram Crispini Dioec. Ravenn. in Legatione Ferrariensi: et cum ibi FF. Minores Ord. Cappuccinorum novum coenobium aedificare inchoassent, idem Illustrissimus Archiepiscopus solemniter, et pontificaliter Magnam Crucem inibi fixam benedixit, magna populi frequentia, et ministrante Societate Sacrorum Stigmatum S. Francisci, Ferraria illic processionally ad hoc opus translata.

15 16 Adoratio, et osculatio Crucis, quam præcipit textus noster, signa sunt venerationis, et quaedam tacita Fidei professio compendiosa, quæ protestamur, testificamurque nos militare sub Christi Vexillo, S. August. in Ps. 141.

BENEDICTIO IMAGINUM

JESU CHRISTI DOMINI NOSTRI, B. M. VIRGINIS, ET ALIORUM
SANCTORUM.

TITULUS CUADRAGESIMUS QUARTUS.

SUMMARIUM.

- 1 Imagines Sacrae cur adorentur?
- 2 Haeretici Iconoclastae sunt contra Imagines Sacras.
- 3 Ecclesia triumphat Imaginibus suorum Athletarum.
- 4 Usus antiquissimus Sacrarum Imaginum.
- 5 Ecclesia statuit, ut Imagines Sacrae benedicerentur.
- 6 Benedictio haec an sit necessaria?
- 7 Imagines Sacrae bene examinandae ab Episcopis.
- 8 Imagines debent effingi juxta praescriptum Sacrorum Canonum.
- 9 Pictores, qui secus agerent, puniendi sunt.
- 10 Similiter, si Vultum alicujus Sancti similem fecerint alicujus viventis.
- 11 Imagines benedici debent, antequam exponantur.
- 12 Benedictio haec fieri debet solemniter.
- 13 Colores Paramentorum pro hac Benedictione.
- 14 Festa Sanctorum peragenda sunt in Paramentis convenientibus.
- 15 Quomodo decenter pingendae sint Sacrae Imagines.

1 2 3 4 Haec Benedictio Sacrarum Imaginum, quae a Fidelibus adhibetur ad venerationem Personarum in illis representatarum, atque ad imitationem, quantum fieri potest, rerum ab eorum Prototypis gestarum, praelia multa ab Haeticis, et praecipue ab Inconoclastis sustinuit: nunquam vero per hoc, Sacrae Imagines fuerunt ab Ecclesia eliminatae, quin potius auctae, et locupletae quotidie ad venerationem insurgunt, et quae plus antiquitatis redolent, majori veneratione coluntur. Ideo triumphet Ecclesia suorum Heroum, et Athletarum Imaginibus sive sculptis, sive depictis, sive impressis, sive tandem quocumque alio decenti modo efformatis ad consolationem, et utilitatem filiorum suorum. Quapropter pius, et antiquissimus Sacrarum Imaginum usus ex antiquorum PP. scriptis

Dionysii, Athanasii, Basili, et aliorum colligi potest, quorum testimonia in septima Synodo, *Act. 3. 4. 5.* magna ex parte referuntur, et a Suarez *T. 1. in 3. part. disp. 54. sect. 1.* enumerantur.

5 6 Verum non nudas hasce Imagines adhiberi, et venerari voluit Ecclesia: eas, ex praescripta Benedictione exornari quoque statuit; praecipue illas, quae in Templis publicae venerationi ad Altaria exponuntur; quare non est curandus Pignat. *t. 9 cons. 86.* qui videtur negare hanc necessitatem, dum dicit, hujusmodi Imagines posse, sed non debere necessario benedici. Cui opinioni adversatur Monacell. *T. ad ad II. Tom. tit. 16. for. 2. n. 330.* doctissimi probans, quod Rubrica praesentis Tituli de Benedictionibus Imaginum sit constitutiva; non directiva; atque ideo debere omnino, et necessario servari, eo magis quia praescribitur, et praecipitur in Pontificali, qui liber habet vim legis, ut docent Fagnan. *in cap. Presbyt. num. 41. de Sacram. non reiter. Pax Jord. t. 1. l. 5. tit. 12. n. 165. et n. 169.* atque alii apud Monacell, *ibid. n. 332.* Nam hac Benedictione fit, ut res Benedictae constituantur tantum Cultui Divino, adeo ut amplius non debeant in profanos usus converti.

7 8 9 10 11 12 Qua occasione Benedicendi hujusmodi Imagines fit, ut Episcopi videant, et sedulo examinent Tabulas, et Picturas Imaginum, an sint juxta praescriptum *Conc. Trid. sess. 25. invoc. et reliq. Sanct. et Sacr. Imag.* et illas approbent, vel reprobent; cum in illis nihil profanum, nihil inhonestum, nihilque falsum debeat pingi, unde *Conc. Prov. 4. p. 1. t. de Sacr. reliq. et Imag. Pictoribus, et Sculptoribus,* gravem mulctam, ac poenam, etiam interdicti ab Ecclesia, Episcopi arbitrato proponit, si quid inordinate, aut praepostere, aut tumultuarie accomodatam; si quis profanum, aut inhonestum effinxerint, et si vultum aliquem, nimium vero vultui hominum notario similem pinxerint. Ubi etiam praecipitur, ut benedicantur Imagines antequam exponantur, neque haec benedictio privatim habeatur, sed solemniter fiat, et statis Precibus in Pontificali, vel Rituali libro praescriptis consecrentur, *Act. p. 4. l. 1. Instr. Fabr. Eccl. de Ritu Benedict. Imagin. Plura vide in Sarnell. Ep. Eccl. T. 1. Ep. 37.*

Sed contra Picturas, et Sacras Imagines indecenter, et immodeste efformatas, stat pro cunctis Edictum de mandato SS. D. Alexandri PP. VIII. in Urbe evulgatum sub die 15. Julii 1690. relatum in Synodo Senogalliensi nuper coacta per eximium, et omni laude dignum ejus Episcopum Bartholomaeum Castelli, tenoris videlicet:

GASPAR TIT. S. M. IN TRANSTYBERIM S. R.

E. Presb. Card. de Carpineo, etc.

“Volendosi provvedere agli abusi, che potessero praticarsi nelle Chiese pubbliche, Oratori, e Cappelle private per le pitture poco oneste, che vi si collocassero, mentre in quegli stessi luoghi, dove i Fedeli devono radunarsi per l’Orazione, non è giusto vi trovino occasione di scandalo. Quindi è, che inrendo agli altri Decreti sopra tal materia altre volte emanati, giusta le Sancte Determinazioni del Sacro Concilio di Trento, si comanda espressamente a qualsivoglia Persona, e specialmente a tutti li Rettori delle Chiese, sotto le infrascritte pene, che non permettano, che nelle Chiese, Cappelle, ed Altari, si eretti come da erigersi, né in alcun luogo sieno collocati, Quadri, Statue, Pitture, o Bassi rilievi senza nostra precedente licenza. E per la più puntuale osservanza di questo, si ordina ancora, e si comanda a tutti i Pittori, e Scultori, che non ardiscano, né presumano sotto qualsivoglia pretesto dar fuori a tal fine Quadri, o Sculture, se prima d’incominciare non avranno esibito a Noi, o al nostro Vicegerente i Cartoni o Abbozzi, e Disegni dell’Istoria, o fatto con le figure, come avranno da stare, per ottenerne a tergo degli stessi Cartoni da restituirsì loro subito la licenza gratis, sotto pena, oltre la perdita di tali Opere di Scudi venticinque a ciascheduno, e per ciascheduna volta da applicarsi a luoghi Pii, e della Carcere, e siglio, ed altre maggiori, riservate a nostro arbitrio. In oltre si proibisce parimenti a’ Pittori esporre nelle vie, e luoghi pubblici Figure oscene, e troppo lascive per la nudità, benché profane; e molto più, se rappresentassero cose Spirituali, come di Santi, e Sante, certificando ognuno, che si pro-cederà irremissibilmente, senza dichiarazione alcuna contro tutti all’esecuzione delle pene di sopra comminate, etc.”

Dat. Romae ex Aedibus nostris, die 15. Julii 1690.

G. Card. Vicar.

Aless. Prevost Ronaventura Segr.

13 14 Quo colore autem debeant esse paramenta, nempe Pluviale, sive Stola adhibenda a benedicente in tali functione, nemo est qui doceat: ego puto, quod ista Paramenta esse debeant coloris convenientis ordini hierarchico illius Sancti, seu illius Imaginis depictae: nempe si Martyr, Rubea: si Confessor, aut Virgo, Alba; et hujusmodi ad praescriptum in Rubricis de colore paramentorum: et ratio potest esse, quia talis

Benedictio est particularis illius Sancti vel Beati, nominatim expressi in Benedictione; cujus primum Festum tunc agitur, quando benedicatur; vel saltem, illa occasione, et tempore. Sed Festa Sanctorum celebranda sunt in paramentis illis convenientibus; ergo quoque in hoc loco.

15 Quomodo vero pingendae sint decenter Sacrae Imagines, vide Sarnell. *d. T. 1. Ep. 37. et T. 3. Ep. 7.* ubi multa utilissima scitu invenies.